

III. Ex Typis, quales plurimi erant, utpote arbor vite Gen. 2. At solus Christus est vera vita. 1. Job. 5. v. 11. & arbor vitæ, Apocal. 2. v. 7. Agnus Paschalis. Exod. 12. Pascha nostrum pro nobis, immolatum est Christus. 1. Cor. 5. 7. Mediator Moses, Actor. 7. vers. 25. Servator Othniel. Jud. 3. v. 19.

IV. Ex Officio Prophetarum, qui omnes de Christo vaticinantur. Actor. 3. v. 24. Scrutantes ad quem, aut cujusmodi temporis articulum significaret, qui in illis erat. Spiritus Christi, qui priusquam acciderent, testabatur venturas in Christum afflictiones. & quæ essent consecutura, glorias 1. Pet. 1. v. 10. Scrutamini igitur Scripturas, ut Christus hortatur. Job. 5. v. 39.

V. Ex fine totius legis. Rom. 10. v. 4. Perfectio legis Christus est ad justitiam omni credenti. Est etiam pedagogus ad Christum. Gal. 3. v. 24.

VI. Ex desiderio fidelium & expectatione Christi. Eva mater omnium viventium desiderio promissi Redemptoris plena ait. Gen. 4. v. 1. possedi אֱלֹהֵי יְהוָה virum Jehovah, Angelum illum Jehovah, h. e. promissum Messiam, ut Targ. Jonathæ exponit. Sic & Pater Nohæ sperabat Redemptorem. Gen. 5. v. 29. ideo ait: iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. Jacob. Genes. 49. vers. 18. Salutare tuum expecto Domine, scil. Redemptionem Messiae, ut vertit Targ. Hierosol. dixit Pater noster Jacob: Non expecto redemptionem Gideonis filii Joas, quæ est salus temporalis, neque expecto redemptionem Simsonis, quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Christi, scil. Messiae filii David, qui venturus est, ut adducat sibi filios Israel, cujus redemptionem expectat anima. Sic Psal. 119. v. 166. 174. Luc. 2. 30.

Moses ad Hebr. 11. v. 26. Per fidem reliquit Ægyptum, & elegit esse cum populo Dei, maximi estimans probrum Christi. David desiderat bibere aquam de cisterna in Bethlehem 2. Sam. 23. v. 15. Ubi rectè notat Ambros. in Apolog. David. cap. 7. Sitiebat David non aquam de lacu, quæ est in Bethlehem, sed oriundum ex virgine Christum in spiritu prævidebat. Volebat igitur bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ Spiritualis, h. e. Non aquam sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Deniq, non bibit oblatam aquam, sed Domino effudit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum &c.

Hinc